

Archivum

historicum
AUCTORES
53-164
A.

Genuense

C.R. a Somascha

Servizio Annuolo

AQUAEDUCTIBUS

U T I N I

REPARATIS.

Napis

1823

NAIS.

Quae vaga jamdudum per devia rura per agros
Deduxi vitreos exul ab urbe pedes,

Nais ego en iterum per apertos acta canales.
Nunc latices mediis maenibus injicio.

Haecne urbs quam nostris aliquando rigavimus undis?
Namque sibi ipsa negant lumina nostra fidem.

Undique cernenti palatia, signa, columnae,
Vel non visa prius vel reparata nitent.

Umbrosas cerno posita ad sedilia plantas,
Quae vacua aestivo membra calore levent.

Cerno decus larium, et nitido penetralia cultu,
Ars ubi munificas accumulavit opes.

Quaeque arx stat clivo antiquis sarcita ruinis
Digna domus Themidis Caesare digna meo est.

Surgere cerno piis ingeitem ad sidera molem
Manibus, ut pulchrum suppetat esse mori.

Cerno decus stadii, camposque, et strata viarum,
Pallada ut has sedes incoluisse putas.

Incoluitque puto; nec enim sine numihe Divum
Palladia hoc florent semina; rara solo:

Semina quae certe lustris labentibus almae
Dona dabunt urbi splendidiora fide.

Auguror hinc etenim quam magnis sera propago
Ausibus aquabit fortia facta patrum.

Palladia ut vis consiliis immixta nepotum
Conferet industres ad bona quaeque manus.

Itala regna novus quicumque advenerit hospes
A primis discet sedibus Italiam.

Felices nimium spectat quas Iupiter urbes;
Et tantis tribuit luxuriare bonis!

Ipsa eadem majorum olim miserata labores
Lympharum e puteis munera sufficeram (a).

Elidis utque amnis dulcem visurus amicam
Sub maris obductum gurgite agebat iter:

Obvia sic ego curas non frustrata, colonum
Inmadui lympha prosiliente pedes.

Nec meminisse pudet quo me violaverit hostis
Crimine, barbaricum vir tamen ulta probrum.

Sint laudes vobis patribusque: Anienis honores
Cur ego sic vobis gratior invideam (b)?

Nam mihi nulla soror nulla est sibi filia, Turre,
Quae per marmoreos surget ad astra tubos.

Semper erit tanti memori mihi gratia facti,
Utque adsim caecas, saepe subibo vias.

At vos perpetuo, mea flumina, currite lapsu:
Vosque habeant cives usibus apta suis.

Felix quod vidi, quod sum visura recedam:
Interea nostrum contegat urna caput.

NOTAE.

Pagella V.

(a) Putei Utinense et constructione et profunditate sanc mirabiles a Sabellico, Palladiis, caeterisque rerum Forojuliensium illustratoribus laudantur. Diu antequam Romani hac regione potirentur, comuni eruditorum consensu eratos fuisse creditum est; et a Raymundo a Turre Patriarcha Aquilejensi anno 1291 instaurati, demum anno 1511 obturati fuerunt, cum urbe civilibus bellis depopulata, nonnulla cadavera injecta fuisse vulgatum esset. Sed paucis abhinc annis opera et studio Antonii Comitis a Turre repurgati, et populari errore vix depulso, saluberrimam et perennem aquam Utinensis suppeditant.

(b) Ex Aniene, agri Tiburtini fluvio; aquae Romam deducebantur.

ANGELUS SOSTERO
In Utin. Gym. Hum. lit. Professor.

UTINI, M.DCCC.XXIII.

APUD FRATRES MATTIUZZI
Ex Typographia Peciliana.